



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XI. Linguæ Græcæ commendatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

felium, quod non dat sibi? mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? &c.

PROPOSITIO *continebit adhortationem ad studiosos, ut virtutis studio diligenter incumbant.*

XI. LINGVÆ GRÆCÆ
commendatio.

PRINCIPIUM *sumes à quorundam hujus temporis incredibili cecitate, quorum ratio tam cæcis ignorantia tenebris involuta jacet, ut, etsi minime illi mali sint, magnoq; alioquin ad politioris litteraturæ studia promovenda amore rapi videntur, tamen nescio quo opinionis errore ducti, ad solidam & perfectam rerum pulcherrimarum cognitionem, sine Græcarum litterarum usu & peritia perveniri posse arbitrantur.*

PROPOSITIO: *Hanc igitur omnibus mansuetiorum Musarum studiosis perniciosam opinionem tua qualicunq; oratione convellendam esse dices.*

CONFIRMATIONIS I. *Locus à necessitate. Usque eò necessaria est huius linguæ peritia, ut sine ea frustra quodammodò omnes laborum vigilias in doctissimorum virorum monumentis evolvendis consumseris. Etenim cum omnium artium parens Græcia semper extiterit, Latinumque sermonem non disciplinis modò, sed verbis etiam locupletarit, quidquid fere eximium in latinorum scriptis inveniri potest, id solum Græcis acceptum ferri debet, quod & ipse Romanæ eloquentiæ parens Cicero dissimulare nequit, qui nisi se totum ad Græcorum imitationem contulisset, nunquam ad tantam rerum cognitionem, dicendique facultatem pervenisset. Philosophia & artes liberales cum Græca habeant nomina, à Græcis esse profectas, quis ignorat? Sed & ipsa sacrarum litterarum arcana litteris Græcis continentur, earumque interpretes, vel Græci fuerunt, vel litteras*

49 FORTUNÆ INCOMMODA

Græcas quam optime calluerunt. Quare quicumque perfectam rerum cognitionem desiderat, eam non ex rivulis quibusdam, sed ex fontibus ipsis hauriat oportet.

II. *Ab honesto.* Quòd honestum sit Græcæ linguæ studium, ex summo illo dedecore, quod huius ignaris inuritur, colligi potest. Nam & Episcopo, Canonico, Diacono, Presbytero, Monacho, summa ignominia conciliabitur, si nominis sui etymologiam reddere nequiverit.

III. *A jucundo.* Ad eò jucunda & suavis hæc lingua est, ut Poëtæ, teste Fabio, quoties suave carmen aliquod esse voluerunt: id quibusdam Græcis nominibus exornare consueverint.

In REFUTATIONE franges hanc OBJECTIONEM: Pleraq; in linguam Latinam conversa sunt. Non enim suavitas illa sermonis, aut proprietas in aliam linguam transferri potest, quin & ornatus illius omnis & decor orationis intereat. *Adde,* quòd non omnia in linguam Latinam conversa sunt, quod vel mediocriter erudito manifestum est. *Adde,* quòd & lapidibus, & gemmis, & herbis plerumq; sunt indita Græca nomina, & Medicina tota Græcis vocabulis utitur. Quàm verò lingua Latina inops, sterilis, & jejuna sit, indicant rerum descriptiones propè innumeræ, quæ propriis nominibus destitutæ sunt.

CONCLUSIO *conficiatur* adhortatione ad linguæ Græcæ studium.

XII. FORTUNÆ INCOMMODA
fortiter esse ferenda.

*Vide The-
ma I.*

INITIUM *sumetur à nonnullorum nimia animi dejectione.* qui quovis fortunæ incommodo usq; eò plerumq; percelluntur, ut omni spe abjecta de sua quodammodò salute actum putent.

PROPOSITIO. *Idèò hac oratione fortunæ in-*
COM-